

erat. Verum nos etsi sciamus nullam unquam in terris vixisse Themis, quæ post diluuium consulta fuerit & oracula dederit, multo minus, quæ in cœlum ascenderit, vt crediderunt Ethnici, tamen de Iustitiæ Idea seu virtute illa generali, quæ suum cuique tribuit, hæc intelligi posse non dubitamus: Ex hac enim Eunomia seu bonæ leges (vt reliqua taceam) prognatæ sunt, quamuis alii dicant has ex malis moribus exortas, quod per accidens intelligendum est. Eunomia tuetur regna, conseruat politias, Respub. & Ciuitates, facitque res ex minimis maximas: Tales enim sunt mores gentium, quales leges, si hæ bonæ vel malæ fuerint, ita & illos esse oportet: Eunomia est hominibus iuste viuendi norma & amussis, ad quam dicta & facta singulorum quadrare debent. Polycletus quidam celebris statuarius in sua arte fecit librum de proportionē singulorum membrorum humani corporis, respectu partium & totius, eumque Regulam vocauit, iuxta quam cæteri artifices sua opera conficere & examinare possent: Tales Regulæ

B sunt